

Rheinisches Museum für Philologie 1 (1832) 110–124

## Didascaliae Plautinae.

---

Quod in Terentio nobis peropportune concessum est, ut quo anno vel potius quo mense singula dramata acta sint, certa ratione definire et satis accuratam totius eius comici vitae imaginem adumbrare possimus, eo commodo in Plautinis fabulis non sine magno historiae literarum detrimento privati sumus. Attamen non plane caremus rationibus chronologicis, quibus aliquot saltem comoediarum tempora enucleari possunt; plures fortasse et graviores e codicis Ambrosiani reliquiis lucrabimur, quas iam sedecim annos neglectas iacere, dolent omnes; qui in restituendo Plauto operam suam posuerunt. Namque etiam Plautinis comoediis olim epigraphas additas fuisse, didicimus ex codice illo, ubi reperitur didascaliae fragmentum, de quo haec Maius Plaut. fr. ined. p. 24.: „fabulae videtur praefixa literis grandibus haec inscriptio: M. IVNIVS. M. FILENVS. B(IS) A(GVNT) M(E)“. Quae uncis inclusa sunt, Maii, ut videtur, supplementa neminem probaturum esse puto. Diu me exercuit haec inscriptio, quippe quae plane diversa sit a Terentianis, ubi nomina aedilium seu consulum (tale enim esse M. Iunii nomen per se probabile est) ablativo casu proferuntur. Erat quum pro FILENVS eiecto M., quod praecedit, *Silanus* substituendum esse putarem, quia M. Iunium Silanum anno urb. 554 cum C. Centenio Penula aedilitate plebis functum esse videbam. cf. Schubert de aedil. p. 508. Sed haec nimia mutatio est, habeoque nunc aliam leniorem et certissimam, ut opinor, medicinam. Legendum est enim: M. IVNIVS. M. FIL. PENUS. Pennorum nomen

etiam una *n* scribitur : Drakenborch. ad Liv. IV, 20, 8. ; P facile Maii oculos effugere potuit. Eo plus coniecturae illi tribuo, quod probatam fuisse scio Niebuhrio V. S., qui in fastis Capitolinis consulem anni 585 *M. Iunium M. F. M. N. Pennum* appellari mihi ostendit, quem nostri Iunii filium esse, nemo negabit. Pennus autem aedilis plebis erat cum Tib. Claudio Asello, quibus aedilibus ludi plebei septies instaurati. cf. Liv. XXIX, 11. Incidit hoc in annum 550 consulesque M. Sempronium Tuditanum et M. Cornelium Cethegum, quo anno secundum quosdam mortuus est Naevius poeta. Sic igitur explenda epigraphe: (*Tib. Claudius Asellus*) *M. Iunius M. Fil. Penus (aediles ple)bis*. De reliquis me incertum esse fateor; nam Maium non satis accurate in describenda didascalica versatum esse, quisque videt, ut hario-lari putandus esset, qui de iis coniecturam facere vellet. Satis autem grave est, nobis didascalicae Plautinae fragmentum servatum esse in palimpsesto antiquissimo, quem olim nonnullas continuisse existimo. Inducit me quidem in eam sententiam alia epigraphe ex eodem manuscripto petita, quam Maius pro Terentiana venditat. Audiamus ipsius verba p. 52: „in vetustissimo palimpsesto, ex quo Plauti fragmenta superius edidi, folium item reperi cum Adelphorum epigraphe. Id mihi certo indicio fuit, codicem extitisse Terentianum Plautino plane germanum praestantia et aetate. Sed praeter illud folium cetera omnia iam pridem vixere. Nunc quoniam et haec epigraphe non est eadem plane atque editae, eam hic adicere visum est.

Graeca Adelphoi Menandru

acta ludis plebeis

Cn. Balbio, C. Terentio aedilib. pl.

I. Publilius Pollio

Marci por (Oppii)

tibiis Serranis totam

C. Sulpicio, C. Aurelio consulibus.“

In quo id primum mirabar, quomodo acciderit, ut de toto Terentii codice unum tantum folium ad nos pervenerit, idque Plautinis fabulis adiectum; mirabar deinde Pollionis nomen, quod nusquam in didascalis Terentianis apparet. Quae quum mecum agitare, adii Niebuhrium V. S. petiique ab eo, ut scrupulos mihi meos eximeret, qui qua erat benevolentia et comitate, tota epigraphe mecum perlustrata, *Balbi* nomen corruptum esse statim animadvertit, Baebiumque in sedem suam reduxit. Nota est enim gens Baebia et quae ad eam pertinuit, familia Tamphilorum. Scribendum praeterea *Marcipor Oppii*; servos et libertinos eiusmodi munera obiisse notissimum est; ad *Oppii* supple: libertus. Gemellum plane nomen est in fragmento Varr. ap. Non. c. 6. n. 1. *Cum Quintipor Clodianus tot comoedias sine ulla fecerit Musa*. Sed redeamus ad aediles. Terentii aetas eos non vidit, quos demonstrare Osanni res fuisset, qui mutato C. Sulpicio et C. Aurelio in Serv. Sulpicium Galbam et M. Aurelium Scaurum, hanc didascaliam ad a. u. 646 retulit Anal. p. 147, utrum aedilium nomina quadrent necne, parum, ut videtur, curans. Falli virum doctissimum etiam alio argumento evincitur. Pollio enim iam in Plauti Bacchidibus II, 2, 36 deridetur, ubi haec Chrysalus:

Non herus, sed actor mihi cor odio sauciat.

Etiam Epidicum, quam ego fabulam aequae ac me ipsum amo,

Nullam aequae invitus specto, si agit Pollio.

Sic optime emendavit Bothius; vulgo: *Pellio*. Symmachus Epist. X, 2. *non idem honor in pronunciandis fabulis Publio Pollioni, qui Ambivio fuit*. Publilius, non Publius nominatur Pollio apud Maium; *Publilii* saepius occurrunt in inscriptionibus, etiam *Publicii*; ego codici plus tribuo, quam Symmacho, auctoritatis. Vides iam Plauti aetate floruisse Pollionem, neque adeo potuisse eum anno 646 fabulam agere; ac ne ipsius quidem Terentii tempore superstes fuisse videtur.

Forte quadam inveni, quo totam litem dirimerem; significo autem locum Livii XXXI, 50. *Plebei ludi ab aedilibus L. Terentio Massaliota et Cn. Baebio Tamphilo, quem praetorem designaverant, ter toti instaurati.* Fuere autem eius anni consules *P. Sulpicius Galba, C. Aurelius.* Liv. XXXI, 5. Muta tres tantummodo literas et habes eosdem consules, eosdem aediles in nostra epigraphe, quae ideo ad ann. u. 554 referenda est. Iam nemo amplius contendet, fabulam hanc esse posse Terentii, qui nondum natus erat eo anno. At Terenti (alloquor eum Valgii versu, quem Donatus in vita servavit)

*Tuae quae vocantur fabulae, cuiusne sunt? \*)*

Magna oritur suspicio, Maium errasse, foliumque illud revera ad Plauti codicem pertinere, quem plurima eo tempore dramata edidisse infra videbimus, quique ipse Epidicum a Polione actam esse luculenter testatur. Deceptus sine dubio Maius literarum vestigiis, Menandri *Adelphos* intulit, quae hic locum habere non potest. Nam Terentii fabulam non significari, demonstratum est; ipsum Menandri drama ludis plebeis dari potuisse, aliis demonstrandum erit. Quenam inter Plautinas fabulas substituenda sit e Graeco Menandri expressa, me nescire fateor; id pro certo affirmare ausim, Plauti comoediam intelligi atque sub *Adelphoi* aliud nomen latere, quod a sagacioribus restitutum iri spero.

Habemus igitur duas didascalias, quae ad Plautum spectant, unam lacunosam, ita tamen perspicuam Pseudoli, ut tempus eius fabulae illinc colligere possimus; alteram integriorem quidem, sed gravi mendo vitiatam, quod notasse sufficiat. Praeter eiusmodi autem epigraphas etiam in ipsis

\*) Sic emendandum esse puto versum, qui multos iam exercuit; alloquitur Valgius Terentium fertique eum insinuat. Vulgo *hae, quae vocantur fabulae, cuiusne sunt.* Ios. Scaliger ad Euseb. p. 144. *hae quae voc. fab. Terentii.* Bothius: *Hae quae vocantur fabulae? cuiusne sunt? Tuae* monosyllabum; cf. Linge de hiat. in vers. Plaut. p. 72.

comoediis nonnulli loci inveniuntur, qui ad temporum conditionem satis aperte alludunt, nobisque in chronologico fabularum ordine inveniendo magno usui esse possunt. Primus ni fallor, (nam Lambinus et Taubmannus tantum obiter hanc rem tetigere) talibus recte usus est Fr. Ritterus, qui in *Ephemeridibus scholasticis* (1850. II. col. 873 sqq. 1831. II. col. 268 sq.) de *Poenuli*, *Captivorum* et *Trinummi* aetate egregie disputavit, omissis tamen nonnullis, quibus eius sententiam firmari aut paululum immutari opinor. Ac primo quidem de *Poenulo* sermo sit, in cuius aetate computanda me eandem coniecturam, in quam ille incidit, alia via assecutum esse gaudeo. Nam statim in initio prologi sermo est de *Achille Aristarchi*, quam tragoediam ab *Ennio* latine versam esse constat. Quum autem prologus ille non e Graeco translatus, sed ab ipso *Plauto* confectus sit, vix probabile esse videtur, eum *Graeci* poetae mentionem iniecisse, cuius non tam clarum nomen erat, ut, antequam *Ennius* eius fabulam imitatus fuerit, *Romae* eius poemata apud populum cognita fuisse putanda sint. Nemo enim contra me utetur loco *Rudentis* I, 1, v. 4, ubi *Euripidem* nominatum esse videmus; nam ille non in prologo, sed in ipsa fabula est, et ex mea quidem opinione manifesto e Graeco exemplari desumptus. Sed pone versus illos a *Plauto* additos esse, illud mihi certe dabis, *Euripidis* quidem fabulas *Romae* pervulgatas fuisse, at non item *Aristarchi* nomen et *Achillem* ab *Aristarcho* scriptam. Multo verisimilius est, *Plautum Ennii* tragoediam respicere, cuius fragmenta duo etiam nunc habemus. *Bothe* *Poet. Scen. lat. fragm.* p. 30.

Sed quid hinc ad definiendum *Poenuli* tempus redundat? *Ennius Rudiis* natus, demum a *Catone* quaestore *Romam* deductus est, ubi ab eo inde tempore habitavit. cf. *Corn. Nep. vit. Cat. c. 1.* *Hieron. Chron. ad Ol. 135.* *Catonis* autem quaestura incidit in consulatum *M. Cornelii Cethegi* et *P. Sempronii Tuditani*; cf. *Cic. Brut. c. 15.* Venit igitur *Ennius* *Romam* anno

urbis 550, aetatis suae tricesimo sexto, nec potuit ante tempus illud fabulam Romae docere; itaque etiam Achilles Aristarchi edita est post annum 550, quae quum a Plauto in Poenulo nominetur, Poenulum saltem aliquot annis post Cethegum et Tuditanum consules ponendam esse consequitur. Praecipuum pondus huic argumento additur alia re, quam a nemine observatam esse demiror. Lege enim mihi, quae advocati narrant in Poenulo III, 3, v. 50: *nam hic latro in Sparta fuit, ut quidem ipse nobis dixit, apud regem Attalum. Inde nunc aufugit, quoniam capitur oppidum. C. Nimis lepide de latrone, de Sparta optume.* Haec a Plauto ipso addita, non e Graeco petita esse, non est, quod moneam. Alludit autem poeta ad bellum contra Nabin, Lacedaemoniorum tyrannum, a Quinctio Flaminio gestum, de quo vide Livium l. XXXIV. Quum Romani iam in eo essent, ut Spartam expugnarent, Nabis de pace cum Quinctio agere coepit, quam facile ab eo obtinuit; cf. Liv. c. 27. Romanorum socii in eo bello fuerunt Rhodii et Pergameni. Acta autem haec sunt anno urb. 559 M. Porcio Catone et L. Valerio Flacco Coss., anno post pugnam ad Cynoscephalas. Obiicient mihi fortasse, in loco Plautino Attalum nominari, qui iam ante expeditionem Spartanam mortuus erat, eodem tempore, quo ad Cynoscephalas pugnatum est; cf. Liv. XXXIII, 21. Attalus cum Flaminio contra Philippum bellavit, ipseque ducem Romanum per Graeciam comitatus est; filius autem eius Eumenes Spartanæ oppugnationis particeps fuit, ideoque etiam eius mentionem factam videmus in pacis cum Nabide conditionibus, quas nobis servavit Livius XXXIV, 35. Itaque bellum in Graecia una cum Attalo susceptum, demum Eumene regnante ad finem perductum est, potuitque eam ob rem Plautus militem, Attali regis latronem, Sparta redeuntem facere; non accurate eum locutum esse, nemo mirabitur, qui exemplum eiusdem in rebus historicis negligentiae e Menaechmis infra appositum comparaverit. Demonstratum est

igitur Poenulum post bellum cum Nabide editam esse, h. e. post annum urb. 559. Iam si cum his argumentis ea coniungis, quae a Rittero prolata sunt, Poenulum etiam post ann. urb. 560 actam esse concedes; nam L. Corn. Merula et Q. Minucio Thermo Coss., aedilib. cur. C. Atilio Serrano, L. Scribonio, primum senatus a populo secretus ludos Romanos spectavit (Liv. XXXIV, 54), quo faciunt illa in prologo v. 19. *neu dissignator praeter os obambulet* etc. Considera praeterea haec verba III, 1, v. 21: *praesertim in re populi placida atque interfectis hostibus, Non decet tumultuari*, quae ante bellum cum Antiocho scripta esse, luce clarius est. Initium autem duxit id bellum Man. Acilio Glabrone et P. Cornelio Scipione Coss. Habemus fines artissimos annum 561 et annum 563, intra quos Poenulus ponenda. L. Corn. Merula et Q. Minucio Thermo Coss. fabulam ideo non actam esse opinor, quia populi a senatu distinctionem, quae tum instituta est, primo cum indignatione exceptam fuisse scimus; quare rem tam ingratham Plautum primo statim anno tetigisse non crediderim. Acta est Poenulus ex mea sententia L. Quintio et Cn. Domitio Aenobarbo Coss., aed. cur. M. Aemilio Lepido, L. Aemilio Paulo (Liv. XXXV, 10), ludis Romanis; nam solis ludis Romanis populum a senatoribus discretum fuisse, e Livii locis elucet XXXIV, 44 et 51. Poenulum e Menandri Carchedonio expressam esse iam ab aliis observatum est. Meineke Menandr. et Phil. rel. p. 92. Quod si verum est, ex loco illo V, 4, v. 101: *O Apella, o Zeuxis pictor, Cur numero estis mortui? hinc exemplum ut pingeretis. Nam alios pictores nihil moror huiusmodi tractare exempla*, qui sine dubio e Menandro ad verbum translatus est, facile coniecere possumus; Menandri fabulam post Apellae mortem prodiisse. Mortuus est autem Apelles circa Ol. 119 ex Toelkenii computo Amalth. III, p. 119. Quare Carchedonius Menandri intra Ol. 119 et 122, 4 scripta esse debet. Gravissimum vero est ipsius

Menandri testimonium ad Toelkenii disputationem confirmandam; paucis enim post Apellem annis Menander diem supremum obiit, et ipse forsitan cum Apelle amicitia coniunctus erat.

De Trinummo plurima praeoccupavit Ritterus, qui nollem tam multum tribuisset argumento illi, quod ex Syrorum servorum mentione (Trin. II, 4, v. 141—143) petiit. Nam Syros servos ante bellum cum Antiocho M., quod finitum est anno u. 563, Romam venisse, ne ab ipso quidem Rittero negatur, ita ut prorsus nullam rationem videas, quamobrem a Plauto eos ante id tempus commemorari non potuisse statuendum sit. Cf. Merc. II, 3, v. 19. *Ancillam viraginem aliquam non malam, forma mala, ut matrem addecet familias aut Syram aut Aegyptiam.* Sed fac nulla ante bellum Antiochium Syra mancipia Romae fuisse, nonne Plautus eorum mentionem e Graeco Philemonis sumere potuit? Nam apud Philemonem et Menandrum tam vulgaris est Syrorum usus, ut Syrus et Syra communia sint servorum nomina, usurpata etiam in Plauti et Terentii comœdiis. Verissimum autem est, quod Ritterus felici coniectura detexit, acerbam ad Campanorum poenam allusionem his Trinummi versibus contineri l. c.:

Credo ego istuc, Stasime, ita esse; sed Campas genus  
 Multo Syrorum iam antidit patientia.

Significatur enim crudele de Campanis supplicium, quorum maxima pars venundata est a. u. 542. Vides quantum ponderis insit particulae *iam*; nam dicere vult poeta: nunc Campani laborum patientes sunt, qui antea omni luxuria fluebant. At mercede frigidum fuisset post viginti annos (tot enim interpositi sunt ex Ritteri sententia inter Campanorum calamitatem editamque Trinummi) de re paene iam oblitterata loqui, cum potius Plautum haec uno vel paucis annis post Capuae expugnationem scripsisse appareat. Ponenda est igitur Trinummi non ita multo post a. u. 542. Scimus eam e Philemonis

Thesauro expressam esse, cuius paucula fragmenta servata. Iam cum in Trinummo Charmides Seleuciam profectus esse dicatur, unde in fine fabulae revertitur, facilis est conclusio, Philemonis drama (Philemonem enim Plautus sine dubio in hac re secutus est) post a. a. Chr. n. 300 editum esse, quo tempore Seleuciam urbem conditam fuisse novimus. Etiam si eiusmodi observationes nonnemini minutae et inutiles videri possint, tamen non spernendae sunt in tanta, quam fecimus, monumentorum iactura, quippe quae augeant nostram temporum illorum cognitionem, satis arctis finibus circumscriptam. Hactenus de tempore Thesauri Philemonis et Trinummi Plautinae; de loco, quo rem agi voluerint poetae, miror Lindemannum, virum eruditissimum, in tam manifestum errorem se induci passum esse. Is enim ad Trin. IV, 1, v. 4 e codicis Palatini varia lectione: *Quom suis me ex locis in patriam urbis cumam redeunt faciunt*, Cumas fabulae scenam esse coniecit nomenque illud in textum reposuit. Oblitus erat in eodem actu sc. 5, v. 11, Stasimum a Charmide in Piraeum mitti, ut sarcinas e nave afferret; unde Athenis rem agi perspicuum est. Locus ille sine dubio corruptus est et sic fortasse restituendus:

Quom suis me ex locis in patriam urbis humum rede-  
untem faciunt.

urbis h. e. Athenarum. Similiter in Sticho V, 2, v. 1: *Salvete Athenae, quae nutrices Graeciae; terra herilis patria te video libens*. Seu quod magis placet:

in patriam urbem incolumem reducem faciunt.

Quae a Rittero de Captivis disputata sunt, tam magnam habent veritatis speciem, ut in eius argumentis acquiescendum esse existimem. Edita autem Captivi ex eius sententia, quam meam facio, post annum u. 560, caditque ergo in decem ultimos Plauti annos; in cuius fabulae prologo cum haec verba inveniantur: *Hic neque periurus leno est, nec*

*meretrix mala*, *Neque miles gloriosus*, haud iniuria aliquis coniciere posset, Militem gloriosum ante Captivos scriptam esse. At nisi hoc firmioribus rationibus niteretur, mihi quidem locus ille non sufficeret. Videamus, an alia via Militis tempus assequi possimus. In Mil. Glor. II, 2, v. 55 haec leguntur: *Apage, non placet profecto mihi illa inaedificatio. Nam os columnatum poetae esse inaudiui barbaro, Quoi bini custodes semper totis horis accubant.* Alludere his versibus Plautum ad Naevii poetae infortunium, qui cum nobiles maledicentia sua offendisset, in carcerem coniectus est, interpretes certatim observarunt, auctore Festo s. v. *Barbari*. Naevium autem veteres commentarii (Cic. Brut. c. 15) M. Cornelio Cethego et P. Sempronio Tuditano Coss. a. u. 550. diem supremum obiisse tradebant, viginti annis ante Plauti mortem. Consequitur hinc versus illos aliquot saltem annis ante a. u. 550 scriptos esse, Militemque ideo ad priora Plauti dramata pertinere; quae tamen sententia nonnihil debilitatur Varronis auctoritate, qui Naevii vitam longius produxit. Cic. Brut. l. c. Grave sane est Varronis iudicium eoque gravius, quod rationes, quibus ad eam opinionem pervenerit, ignoramus; sed fac Naevium vel decem annis post illos Coss. mortuum esse, h. e. a. u. 560, id tamen constat, Militem aliquanto ante ann. 560 h. e. ante editam Captivos scriptam fuisse, ita ut locum illum in prologo revera ad Mil. gloriosum referre possimus.

Simili ratione etiam Menaechmorum aetatem me invenisse opinor. In illa enim fabula Erotium, ut Menaechmo Sosicli demonstraret, se bene eum nosse, satis facete haec profert II, 3, v. 36 :

Non ego te novi Menaechmum Moscho prognatum patre,  
 Qui Syracusis perhibere natus esse in Sicilia,  
 Ubi rex Agathocles regnator fuit et iterum Pintia,  
 Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit.  
 Nunc Hiero est. *M.* Haud falso mulier praedicas.

In quo regum canone etiamsi Erotium paululum a veritate aberraverit (nam quis de Liparone aliquid inaudivit? \*), illud tamen satis grave est, quod in fine sermonis addat: *Nunc Hiero est*. Quodsi enim a Plauto haec profecta esse concedis, Menaechmi necessario ante ann. u. 538 edita est, quo anno Hiero II. e vita migravit.

A Graeco autem poeta versus illos scriptos esse, mihi quidem propter chronologicas rationes persuadere non possum; sed dabo etiam hoc, potuisse scribi ab eo, quem Plautus in Menaechmis ante oculos habuit, cuius nomen nobis infelici casu non servatum coniectura divinare velle, nimiam audaciam foret (Siciliensem originem e prologi loco v. 12 repeti non posse, bene intellexit Grysar de Doriens. comoed. p. 300); anne verisimile putas post Syracusarum expugnationem subiectamque Romano imperio Siciliam, Plautum sine mutatione talia e Graeco sumsisse, quae in sua tempora prorsus non quadrarent, praesertim quum alibi eum libenter praesentem rerum statum tangere videamus? Mea opinione Erotii ille sermo, etiamsi e Graeco ad verbum translatus esset, idem tamen faceret ad dramaticis Plautini aetatem constituendam. Menaechmos iam ante annum 538 actam fuisse, alii fortasse eo nomine addubitabunt, quia Plautum illo tempore poesin nondum exercuisse credant. Finxerunt enim sibi quidam Plautum Naevio multo iuniorem atque adeo Ennio eum postponunt, quod quam falsum sit, satis demonstrare potest locus Ciceronis in Bruto c. 18: *in quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit, cui cum aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, Plautus et Naeivius*. Consules,

\*) Iam supra vidimus, Plautum in talibus rebus historicam fidem non tam anxie curare. Rex Agathocles apud novae comoediae poetas paene in proverbium abiisse videtur. Pseud. I, 5, v. 118. Mostell. III, 2, v. 88. Sic etiam rex Philippus. Aulul. IV, 8, v. 4. Pers. III, 1; v. 11.

quos Cicero significat, sunt C. Cornelius Cethegus, Q. Minutius Rufus, annus quo magistratu functi, a. u. 557. Iam si Ennius his Coss. annos natus erat quadraginta, Plautus, qui multas docuerat ante hos consules fabulas, Ennioquē aliquanto maior erat (nam hoc e Ciceronis verbis consequitur), eo tempore plus quam quadraginta annos natus erat, ni multum fallor, quadraginta octo vel quinquaginta. Inciderent igitur eius natales sub finem belli Punici primi, quo bello Naevium stipendia fecisse constat. Cf. Gell. XVII, 21. Ex hac computatione, quae Plautum fortasse iuniorem facit, quam revera fuit, quia tantum octo vel decem annis eum Ennium aetate praecessisse posui, poetam anno 538 plus quam triginta annos natum fuisse apparet, ita ut eum iam tunc temporis fabulam agere potuisse plane consentaneum sit. Obiit autem a. u. 570 sexagenario maior.

Transeamus ad Cistellariam, in cuius fabulae tempore inveniendō Auxilium ipsum nobis auxilio fuit; sic enim illic deum loquentem facit Plautus I, 3, v. 53: *Perdite perduellis, parite laudem et lauream, Ut vobis victi Poeni poenas sufferant*, quae verba fabulam ante a. u. 552 h. e. ante finem belli Punici secundi ponendam esse arguunt. Sed utar hac opportunitate, ut nonnulla de totius dramatis conditione proferam, quae futuro eius editori non plane inutilia fore existimo. Laceram et magna parte diminutam Cistellariam ad nos pervenisse, et excerpta codicis Ambrosiani ostendunt et ipsa fabulae oeconomia. Scimus enim Alcesimarcho a patre suo filiam Demiphontis desponsatam esse, in quo summa fabulae versatur. Iam permirum est, in nostris fragmentis nullas esse imperiosi patris illius partes, nullam eius cum filio altercationem, ut plane inexplicabile sit, quam tandem ob rem Alcesimarchus sibi ipse vim inferre velit (III.). Prædiisse autem in Cistellaria Alcesimarchi patrem, e fragmentis codicis Ambrosiani (Mai p. 17 sqq.) perspicuum est. Haec enim illic: *Sed cum dicta huius interpretor, haec hercle est, ut opinor, Meum quac*

*corrumpit filium*, quae a quo alio dici possint, nisi a patre iuvenis, non video. Et paullo post: *Nam . . . . ea e disco deductas habet meus gnatus* (sic enim leg. pro *gratus*), eodemque modo in sequentibus, quae misere lacunosa sunt, saepe de filio sermo est. Nomen patris ignoramus. Initium fragmenti Ambrosiani est colloquium Alcesimarchi (Alcesimarchum haec verba produunt: *Quae mihi esset commendata et meae fidei concredita, Quae esset aetatem mecum exactura in matrimonio* etc.) cum quodam alio, at non cum Lampadisco, quod Niebuhrius Opusc. I, p. 176 dubitanter coniecit. Lampadiscus enim servus est Demiphontis; Alcesimarchus autem ita loquitur, ut potius cum suo servo, sermocinari videatur; domino conveniunt illa: *Ubi sunt, quae iussi*; facit quoque ad eam opinionem vox *erili* p. 18 init., quae a servo usurpata esse videtur. Sagacissima autem est Niebuhrii coniectura, hoc diverbium ante colloquium Alcesimarchi cum Melanide positum fuisse, quae in primis his verbis: *Ad matrem eius devenias domum, Expurges, iures, ores blanditer precibus* etc. firmatur. Quae paullo post sequuntur *Muliercula* etc. sunt verba patris Alcesimarchi, qui obviam venit Silenio, de Alcesimarchi reditu fabulanti (*Nimis opportune* etc.). Agnoscit eam pater invehiturque in puellam, quasi in filii sui corruptricem (*Quid si adeam atque appellem*). Reliqua adeo lacera et perturbata sunt, ut de iis restituendis plane desperandum sit. Plus quam fragmenta Ambrosiana intercidissee, loci aliquot a Grammaticis citati demonstrant, qui in iis non reperiuntur. Duo fragmenta apud Charisium III, p. 611 Putsch. *tun' tune igitur mea matercula*, et p. 612: *Germana mea sororcula*, petita esse possunt ex ultima fabula, quae non minus manca et depravata est. Erat fortasse illic colloquium Phanostratae cum Silenio, filia sua reperta; namque filiae blandientis matremque suam agnoscentis illa sunt: *tun' tune igitur mea matercula*; neque absonum est, alteram Demiphontis et Phanostratae filiam, legitimis nuptiis generatam et Alcesimarchi

ponsam, in scenam prodiisse, quam a Silenio *germana mea sororcula* appellatam fuisse opinor. Vides ex tota hac disputatione, quam misere detruncata sit Cistellaria a librariis; sed quid, si eam uno loco etiam ineptis additamentis turpatam esse demonstrabo? Quis enim non offenditur duplici illa fabulae expositione, quarum una per lenam facta est, altera per Auxilium? Plautus loquacitatis nomine a multis iam reprehensus est; sed quis ineptiae eum incusare sustineat? Ineptum autem est, eandem rem iisdem fere verbis copiosissime a duabus personis enarrari. Verum inspicias, quaeso, paullo accuratius lenae adpotae orationem. Addit enim post verba: *puellam proiectam ex angip.* etc. haec: *Adolescens quidam hic est apprime nobilis (Quin ego nunc quia sum onusta mea ex sententia etc. Tacere nequeo misera, quod tacito usust).* Anne vero tam periculosum est narrare, adolescentem mulierculam deperire? et quam tandem ob rem id tam anxie tacendum esse putat anus loquacissima? Nonne potius illud tacendum esse dicit, quod revera tacito usus erat, se puellam ex angiportu sustulisse amicaeque meretrici donasse? Dele versum 6 et deinde 11, 12 et 13, qui a sciolo manifeste additi sunt, et omnia bene se habebunt. Anus tantum suppositionem puellae narrat, ut etiam Auxilium dicit I, 3, v. 3, a quo deinde ista de amore Alcesimarchi exponuntur.

De reliquarum fabularum chronologico ordine omnia incertissima sunt; quam ob rem breviter eas absolvam, ne nimis argute et cupide arripuisse videar, quibus meam sententiam subornarem. Restant autem tredecim fabulae, quarum duas pacis tempore poetam edidisse censeo, Amphitruonem (si recte interpretor Mercurii verba prol. v. 32: *propterea pace advenio et pacem ad vos affero*, quae etiamsi a librariis corrupta sunt, praebent tamen sensum satis perspicuum) et Truculentum propter illa I, 1, v. 76: *Postremo in magno populo, in multis hominibus, Re placida atque otiosa victis hostibus, Amare oportet omnis, qui quod dent, habent.* Du-

rante bello scriptae sunt Asinaria (prol. v. 15. *Ut vos item, ut alias, pariter nunc Mars adiuvit*) et Rudens (prol. v. 82. *Valete, ut hostes vestri diffidant sibi*). In Aulularia, Bacchidibus, Curculione, Epidico, Mercatore, Mostellaria et Stichome nihil invenisse fateor, unde de earum fabularum tempore coniectura capi posset; quare sagacioribus illas relinquo. Hoc unum scimus, Epidicum Bacchidibus priorem fuisse; cf. Bacch. II, 2, v. 36; utraque fabula mirum quantum Graeci poetae exemplar redolet, de qua re fortasse alio loco a nobis disputabitur. Casinam inter ea dramata refero, quae Plautus florenti aetate docuit, in quam sententiam me inducunt illa prologi v. 17: *Haec quom primum acta est, vicit omnes fabulas; Ea tempestate flos poetarum fuit, qui nunc abierunt hinc in communem locum*. Persam aliquis ante Attali regis mortem scriptam esse coniciat ex loco illo III, 1, v. 11: *Mirum quin Philippi caussa aut Attali, Te potius vendam, quam mea, quae sis mea*; sed talibus argumentis non multum tribuo.

Fridericus Windischmann.

---